

**1983-01-08 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Non Est Dubium’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***NON EST DUBIUM***

PAROECIALE TEMPLUM BEATAE VIRGINI MARIAE SUB TITULO  
«S. MARIA IN VINEIS» IN URBE IANUA DICATUM  
AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR

Ad perpetuam rei memoriam. – Non est dubium quin celeberrimi ac notissimi Ianuensis populi, cuius quidem maiorum bene de civitate ac religione meritorum paeclarae res gestae memoria sunt dignae, non modo catholicam fidem sed peculiarem etiam erga B. V. Mariam cultum testentur frequentiora ipsa templa, quibus abundare principem Liguriae urbem plane constat. Iis vero Ianuae aedibus Deiparae iam diutissime sacratis, ut etiam scripto est traditum, insigne annumeratur templum «B. V. Mariae in Vineis» dicatum, quod idem et «primum sanctuarium civitatis ianuensis» ab immemorabili dicitur, cuiusque dignitas et Collegiatae officia inde ab anno MLXI, anno autem MCXLVII paroeciae munera sunt in tabulas relata. Quae cum ita sint, cumque in eiusmodi paroeciali templo provida ac sollerti industria sacerdotum addictorum sive sueta expediantur ministeria pastoralia sive alia aetati nostrae consentanea foveantur incepta ad christiane vivendum perutilia, precibus Venerabilis Fratris Nostri Cardinales Iosephi Siri, Archiepiscopi Ianuensis, assentiendum esse censemus, qui, sua ipse suique cleri ac populi vota expromendo, haud ita pridem petiti ut praestabile, quod diximus, templum honore ac titulo Basilicae Minoris decoraretur. Nos igitur, propositam Nobis ratam habentes sententiam Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, vi et potestate Nostra Apostolica per has Litteras perpetuumque in modum Ianuense templum paroeciale «B. V. Mariae in Vineis» dicatum ad titulum ac decorem Basilicae Minoris evehimus cunctisque insignimus iuribus necnon liturgicis privilegias, quae ad cetera huius ordenis templa pertinent; servatis tamen secundum Decretum «de titulo Basilicae Minoris» servandis, quod die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII est evulgatum. Contrariis quibuslibet haud obstantibus. Iubemus insuper has Litteras Nostras religiose observari suosque in praesens et in posterum effectus habere.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Ianuarii, anno MCMLXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*